

4 quaedam in montanis prolixiora nascuntur ac firmiora
 propter frigus, ut abietes ac sappini, hic, quod te<pi>
 diora, populi ac salices: susum fertiliora, ut arbutus
 ac quercus, deosum, ut nuces graecae ac mariscae
 fici. in collibus humilibus societas maior cum cam- 5
 pestri fructu quam cum montano, in altis contra.
 5 propter haec tria fastigia formae discrimina quaedam
 fiunt sationum, quod segetes meliores existimantur
 esse campestres, vineae collinae, silvae montanae.
 plerumque hiberna iis [esse] meliora, qui colunt cam- 10
 pestria, quod tunc prata ibi herbosa, putatio arborum
 tolerabilior: contra aestiva montanis locis commo-
 diora, quod ibi tum et pabulum multum, quod in
 campis aret, ac cultura arborum aptior, quod tum hic
 6 frigidior aer. campester locus is melior, qui totus 15
 aequabiliter in unam partem verget, quam is qui est
 ad libellam aequos, quod is, cum aquae non habet
 delapsus, fieri solet uliginosus: eo magis, siquis est
 inaequabilis, eo deterior, quod fit propter lacunas aquo-
 sus. haec atque huiusce modi tria fastigia agri ad 20
 colendum disperiliter habent momentum.

VII Stolo, Quod ad hanc formam naturalem pertinet, de
 eo non incommode Cato (1, 3) videtur dicere, cum scribit
 optimum agrum esse, qui sub radice montis situs sit
 2 et spectet ad meridianam caeli partem. Subicit Scrofa, 25
 De formae cultura hoc dico, quae specie fiant venu-
 stiora, sequi ut maiore quoque fructu sint, ut qui
 habent arbusta, si sata sunt in quincuncem, propter
 ordines atque intervalla modica. itaque maiores nostri
 ex arvo aequae magno[s] male consito et minus multum 30
 et minus bonum faciebant vinum et frumentum, quod

2 suppl. cod. Paris. || 10 hiberna iis esse corrector cod.
 Flor. (ubi esse del. Keil). hibernales esse || 12 montanis m. mon-
 tanaque iis Pot., montana iis vel montana his apogr. || 14 ac] et
 Iucundus, recte? cf. Thes. l. l. II 1055 || 20 adque | <et> ad Keil ||
 21 dispariliter cod. Laur. et v || 29 adque || 30 magnos (magno V) ||